



The Holy See

FRANCISCUS

EPISTULA DATA

FRANCISCO S.R.E. CARDINALI MONTERISI

Venerabili Fratri Nostro

Francisco S.R.E. Cardinali Monterisi

Archipresbytero olim Basilicae Papalis Sancti Pauli extra Moenia

Inopinate veniens Mater Dei, in brachio Christum tenens, salutem fert Ecclesiae. Ita refertur etiam Monopolitanum Episcopum Romualdum in ecclesiae aedificatione ad finem adducenda populi que eidem commissi fide augenda Deipara Virgo mirabili modo quondam iuisse. Merito ergo per saeculorum decursum christifideles ibidem Salvatoris Matrem fidenter invocant devoteque colunt. Pulchre autem fere eodem tempore dixit sanctus Bernardus: "Ipsa est Virginis nostrae gloria singularis et excellens praerogativa Mariae, quod Filium unum eundemque cum Deo Patre meruit habere communem" (*Sermo in Annuntiatione BMV*, 11,2).

Nostra ideo aetate, gravioribus signata humani generis tribulationibus ac diversis provocationibus, quae humano ingenio tantum solvi nequeunt, oportet magis magisque ad Christi et nostram Matrem recurramus eiusque imploremus auxilia. Nolumus ergo ullam omittere occasionem, qua Pastores et Christifideles ad hoc liquide incitemus.

Inter varia autem huius anni, incepta ad Beatissimam Mariam Virginem singulari modo venerandam, nuntiatum. est Nobis in urbe Monopolitana diebus XV-XVI proximi mensis Decembris mirum adventum imaginis Matris Dei recordari, quae ante nongentos annos noctu in portum super pretiosis trabibus venit. Quod Nos laeto animo percepimus in sanctuario eidem Patronae urbis dicato singulares perfici celebritates, persuasum habentes hoc valde fovere posse spiritale bonum christifidelium huius regionis.

Cum ergo Venerabilis Frater Iosephus Favale, Episcopus Conversanensis-Monopolitanus,

certiores Nos fecerit de sollemni liturgia celebranda in honorem Beatae Mariae Virginis et Patrem Purpuratum petiverit qui personam Nostram gereret, Nos libentes ad celebre hoc sanctuarium Te mittere statuimus, Venerabilis Frater Noster, illius regionis praestantiolem Filium, qui multos per annos sacerdotale exercuisti ministerium atque per triginta quinque annos fideliter explevisti episcopalia munera in Ecclesiae universalis et Summorum Pontificum. servitio. Quapropter bisce Litteris *Nostrum Missum Extraordinarium* te nominamus ad supra dicti iubilaei sollemne officium memoratis diebus mensis Decembris peragendum.

Liturgicis celebrationibus Nostro nomine praesidebis Nostramque benignam istic adstantibus significabis salutationem, praesertim eiusdem communitatis Pastori ceterisque Fratibus in Episcopatu nec non civilibus auctoritatibus. Clerum deinde ac populum congregatum prudenter hortaberis ut Beatam Virginem Mariam pientissime colant et una cum ea Deum magnificent. Quibus Nostrani quoque hanc velis referre cohortationem: "Ad Mariam, Matrem Ecclesiae et Matrem fidei nostrae, convertimus nos orantes: Doce nos Iesu oculis contueri, ut in nostro itinere Ille sit lumen; atque hoc fidei lumen in nobis iugiter augeatur" (*Lumen fidei*, 60).

Nos precibus tuam sustinebimus magni ponderis missionem, dum iam nunc enixe te, Venerabilis Frater Noster, committimus amantissimae tutelae Sanctae Dei Genetricis Virginis Mariae. Apostolicam denique Nostram Benedictionem prolixè tibi imprimis elargimur, cum omnibus ad quos mitteris largiter communicandam, dum vicissim a cunctis pro Petrino Nostro ministerio rite complendo enixe poscimus.

Ex Aedibus Vaticanis, die XXI mensis Novembris, anno MMXVII, Pontificatus Nostri quinto.

FRANCISCUS